

**Decanus facultatis medicae in Academia Erfurtensi Joannes Philippus Eyselius lectori benevolo salutem precatur eundemque ad disputationem inauguralem [de recens natorum regimine] officiose et decenter invitat / [Johann Philipp Eysel].**

### **Contributors**

Eysel, Johann Philipp, 1652-1717.  
Universität Erfurt

### **Publication/Creation**

Erfordiae : Charactere Kindlebiano, [1696]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dyzyz3j3>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



20.  
21

FACULTATIS  
MEDICÆ


IN  
PERANTIQUA UNIVERSITATE  
HIERANA

p. t.

DECANUS  
JOANNES  
PHILIPPUS  
EYSELIUS,

MEDICINÆ DOCT. ANATOM. CHIRURG.  
ET BOTAN. PROFESS. PUBL.  
P. L. C.

*LECTORI BENEVOLO Salutem precatur*  
Eundemque ad Disputationem Inauguralem  
*officiosè & decenter invitat.*



Erfurti, Literis Kindlebianis.





Primum vitæ thesaurum sanitatem à plurimis quidem auro chariorem aestimari ac præ aliis corporis bonis maximè exoptari, à permultis verò media & præcepta Diætetica ad istam conservandam negligi, toto experimur die. Fruitur nempe corpus humanum sanitate, quamdiu partes fluidæ in decenti temperie & æquabili motu constitutæ sunt, & solidæ in decenti configuratione, situ & ordine consistunt, corpusque ad actiones secundum naturam exercendas aptum existit & sanum est. Ad talem constitutionem sanam vero multum conferre possè parentes, ortum, solum, cœlum, ætates, victus rationem & sexum liquido constat. Ex his solummodo victus rationem pro nunc eligere lubet, utpote in quâ omnis sanitatis fundamentum unicè positum esse, videtur, & quâ neglectâ, nec præsens sanitas conservari, multo minus amissa restaurari potest. Qualis enim diæ-

ta



ta & qualis esculentorum & potulentorum qualitas & quantitas & assumendi modus, talis quoque chylus, qualis Chylus, talis sanguis, qualis sanguis, tales spiritus, quales spiritus, tales etiam mentis motus, inclinationes & cogitationes exsurgunt, hinc effato Galeni mores animi sequuntur corporis temperamentum, quale hoc deprehenditur, talis quoque Natura vel robustior vel debilior censetur. Est namque Natura mensuræ, numeri, temporum & ordinis observantissima, unde omnia ordinatè tam in productione corporis, quam in illius conservatione & morborum curatione facit. Talis vero Natura quæ maximè in spirituum animalium & vitalium vigore fundata est, si semel specifico motu morbifico characterisatur, istum deindè jugiter custodit, unde consuetudo naturæ dependet, quæ in vitæ genere & morbis variis illorumque periodis admodum est solennis, ut proindè totum sanitatis fundamentum & negotium maximam partem à primis educationis terminis & à primâ infantia à debitâ & ordinatâ institutâ victus ratione dependeat, ita ut nulla ætas sine hoc diætæ regimine à morbis libera atque immunis esse observetur, quicquid alii in contrarium afferant nempe Aristotelicam regulam: *Quod sapit nutrit, item Sani omnia censentur Sana.* Quæ regulæ certè ad omnia subjecta mini-



minimè restringendæ, neque absque discrimine imitandæ. Si vero ulla ætas opus habet diætæ regimine certe infantilis præ aliis per multis periculis observatur exposita, quisquis enim Medicorum recens malorum corpora mollicula & flexibilia simplicissimamque diætam attentè considerat, facillimè in morbos delabi, experietur. Hinc quo priores sunt infantes propter tenellam raram & admodum flexilem substantiam ad morbos recipiendos, eò promptior Medicus ad causam occasionalem avertendam jure meritò requiritur, qui morbis imminentibus convenienti Diætæ regimine obviam procedere possit. Et ò utinam ipsæ obstetrices Nutrices & Puerperæ hoc probè perpenderent, quam facilè salivâ vitiosâ masticando pulmenta vel juscula, semina morbifica multoties per totum vitæ decursum inexterminabilia, in fontibus recens natis infantulis sanis, ad instar veneni cum vitæ discrimine, communicent. Quid quod interdum solidiora ac duriora offerant alimenta, acida, austera & similia noxia, puta brassicam conditaneam, carnes salitas & fumo induratas, quæ omnia, si statim in primâ juventute assumantur habitum corporis infantilis, alias mollem & flexilem facile in durissimum immutare valent, occasionemque multis malis gignendis suppeditare solent. Hujus rei veritatem testantur multis



multis abhinc retro seculis Excell. Practicorum passim institutæ querelæ, ita ut hodierni in omnibus morborum curationibus Medici prius ex Diætetico fonte, antequam ad alia deveniant remedia præscribere teneantur, siquidem in omni Curatione neglectâ Diætâ, aliàs incassum laborabunt. Hæc cum ita sint omnem operam impendant Medici, ut cujuslibet corporis naturam & temperiem perscrutando, convenientem Diætam præscribant, eligendo statim in primâ infantia Nutrices sanas, rejiciendo pulmenta ex farinâ verminosâ, avertendo sex rerum non naturalium errores, conservando lactis materni tanquam nutrimenti à Deo & benigna Natura inæstimabilis & non satis deprædicandi concessi, generationem, quo factò non solum sanitas præsens conservari, verum quoque dispositio hæreditaria morbifica potenter eradicari potest, id quod Galenus suo tempore observavit, dum lib. 5. de tuenda sanitate gloriatur se iis, qui prius assiduis premebantur morbis, ea sanitatis præcepta tradidisse, quibus cum paruisent, prorsus morbi expertes multis annis permanferint; imò addit præterea, quod permultos annos incolumis absque morbis vixerit, non aliundè certè quam ex servandæ sanitatis arte tanta commoda consecutus, quâ etiam Herodicus Medicus teste Platone centesimum annum

im-



implevit, cum tamen alias esset infirmissimus. Quale ergò tenellulis infantulis recens natis conveniat Diætæ regimen, id fufius declarabit & in specimine Inaugurali exhibebit Clarissimus & Expertissimus Candidatus

DN. SAMUEL HOENNISCH,  
Uratislaviensis Silesius,

Editus in hanc lucem Anno 1671. mense Martii honestis parentibus Patre nimirum Viro Spectatissimo Domino MATTHÆO HOENNISIO, Cive & Mercatore Uratislaviensi integerri-  
mo, Matre vero honestissima & elegantibus moribus ornata MARTHA DIETERICHIANA. Providâ parentum curâ à primo mox & tenerrimo rationis usu primis pietatis fundamentis & bonis literis imbutus est, ut tam sermonis quam vitæ rectè vivendi ratio ac sapientia magis magisque in animum induceretur, id quod obtinuit per fidelissimam informationem Viror. Admod. Reverendor. Clarissimor. Dnn. M. FRIEDRICI VICCI, & Dn. M. HERMANNI, Gymnasii Uratislaviensis Elisabethani Professorum meritissimorum, in Philosophicis verò valdè laudibus extollit Virum Clarissimum Dn. M. MARTINUM HANCKIUM, supra laudati Gymnasii Rectorem meritissimum, nec non  
Philo-



Philologum Egregium Dn. ELIAM MAJOREM , Præclarissimum Virum Dn. GOTTLÖB KRANTZIUM, quorum prælaudatorum Dn. ductu ad liberio rem ac sublimiorem Academiae auram dimissus est. Inde nempe ingressus Celeberrimum Lipsiense Athenæum fama Excellent. atque Experientissimi Viri Dn. D. LANGII, invitatus, huncq; præcipuè Manu ductorem in privatissimâ informatione per quinquennium selegit. Qualem enim scientiæ Medicæ possidet suppellectilem, illam maximam partem huic adscribit & acceptam refert. Nec publicas neglexit lectiones Medicas, siquidem in Therapeuticis Excell. & Expert. Dn. Doct. BOHNIUM, in Botanicis Dn. D. RIVINUM, in Cadaverum sectionibus Anatomicis duabus audit Anatom. Professores Dn. D. PETERMANNUM, in tertia Dn. Doct. ORTLOB, in Physica Experimentalis Dn. Doct. SCHAMBERGERUM. Salubriter nunc inebriatus & non leviter tinctus Mysteriis Medicis Doctoralis Gradus honores atque insignia sibi exoptavit. Proinde Facultatem nostram Medicam adiit, desideriumque suum Nobis modeste exposuit. Ad quod tentatis exploratis per solemne & rigidum Examen Istius viribus ac profectibus, Voti sui qui compos fiat, dignus inventus, spectatus & judicatus est,



est, quapropter cathedra huic aperta, quam Deo  
Volente futuro die Lunæ conscendet, & Disputatio-  
nem suam Inauguralem De *Recens natorum Regi-  
mine*, publicæ Eruditorum disquisitioni exponet  
Cui Actui solemnī ut Magnificus DN. PRORE-  
CTOR, cæterique Academiæ Proceres ac Cives, fre-  
quentes interesse ne graventur, eâ quâ par est, humani-  
tate rogantur & invitantur. P. P. sub Sigillo Fa-  
cultatis, Die 20. Decembris ANNO  
M. DC. XCVI.

